

applicanda; nam tunc recte fit conclusio etiam in causa criminali. Gailus cit. observat. 61, n. 19; Zoesius h. n. 5.

24. *Conclusio libelli in actionibus civilibus, qualiter facienda?* — Resp. II. In actionibus civilibus conclusio libelli ita fieri debet, ut, si agatur actione reali, seu rei vendicatione, res petita sufficienter specificetur, sive designetur, simulque addatur, an ea petatur tota vel pars ejus, et qualis: si vero agatur actione personali, exprimere oportet, quantum petatur. In judiciis tamen universalibus non est necesse exprimere, sive designare singulas res, sed sufficit dicere: v. g. «Peto talem hæreditatem, utpote legitimus hæres: Peto ecclesiam cum suis pertinentiis:» Ita Glossa, cap. II, h. t.

25. *Solent eidem addi clausulæ salutares; et cur?* — Additur Engel, h. t. n. 6 et Gailus, lib. I, *Pract.* observat. 61, n. 9, et seqq. quod conclusioni libelli civilis plerumque soleant addi clausulæ salutares, in hunc ferme modum: «Super his omnibus peto mihi jus, et justitiam administrari omni meliori modo et forma, qua de jure, statuto vel consuetudine fieri potest:» Nam per hujusmodi clausulam salutarem censetur actor omne suum jus in iudicium deduxisse, etsi non fecerit expressam de omnibus est singulis mentionem. Hinc si actor simpliciter petierit, rem suam sibi restitui, nulla facta de fructibus et expensis mentione, iudex juxta multos doctores (etsi dissentiat Pirhing, tit. *de Sent. et re judicat.* n. 31) non tenetur reum condemnare in restitutionem fructuum et expensarum; bene tamen, si apposita fuit ejusmodi clausula salutaris, quia per hanc censetur officium iudicis super omnibus aliis imploratum.

26. *Mutari et Emendari libellum differunt.* — Quæritur V. An libellus semel oblati possit mutari, vel emendari? Ubi notandum, hæc duo differre: nam mutatur libellus, quando actio proposita, vel causa petendi expressa commutatur, atque alia proponitur; vel quando receditur a repetita, et alia petitur, aut ipsum factum narratum mutatur, arg. L. un. c. *de Mutation. nomin.* Econtra emendatur libellus, quando vitium aliquod ipsius, aut obscuritas tollitur, salva libelli substantia; uti fit superflua resecando, obscura declarando, verba aliqua addendo, vel mutando, manente eadem sententia, arg. l. un. c. *de Emendat. codic.* Abbas in c. *Significantibus.* n. 24, h. t. Vallensis eod. n. 11. His prænotatis,

27. *Libellus iudici oblati potest mutari usque ad litem contestationem.* — Resp. I. Libellus iudici oblati, tam in causis civilibus, quam criminalibus, potest per actorem mutari usque ad litem contestatam, non vero post: nisi cum refusione expensarum velit quis ex toto recedere a priori libello, atque instantia, et novum libellum offerre. Ita Glossa un. in c. *Significantibus.* circa medium h. t. et Vallensis eod. n. 11; Pirhing, n. 18, Gailus, *Practic.* observat. 74, n. 4, et seqq. et alii. Prior pars habetur in l. *Edita actio.* C. *de Edendo.* ubi dicitur: «Edita actio (sive libellus) speciem futuræ litis demonstrat, quam emendari, vel mutari licet, prout edicti perpetui monet auctoritas, vel jus reddentis decernit æquitas.» Quæ posteriora verba Bartolus ibid. § *Sed quæro.* sic explicat: «Hoc est, quod sit reo salvum jus deliberandi, et defendendi (hoc enim Edicti perpetui L. I, ff. eod. monet auctoritas) et quod sibi restituantur expensæ, si æquum visum fuerit iudici.» Hæc ille. Si tamen ex tali alteratione libelli reus damnificaretur (puta, quia secundum priorem libellum quærendo advocatos jam fecit expensas, aut hujusmodi) tunc actor debet ipse condemnari ad reficiendas expensas. Glossa un. in c. *Significantibus.* post medium. et Abbas ibid. n. 32, h. t.; Bartolus in l. *Edita actio.* § *Quæro quid vult dicere.* C. *de Edendo.* et alii.

28. *Solvitur instantia, et contraria opinio Glossæ rejicitur. An etiam sæpius possit mutari?* — Et quamvis Glossa in cit. l. *Edita actio.* § *Emendari.* dicat, hoc esse intelligendum, quando reus necdum est conventus, neque libellus eidem datus; alioquin enim, si libellus jam fuit reo exhibitus, non potest (inquit) amplius ex toto mutari, sed tenetur actor in actione persistere, Auth. *qui semel.* C. *Quomodo et quando iudex.* etc. Nihilominus, quod possit libellus iudicii oblati mutari usque ad contestationem litis, haud obstante dicta authentica, docet Jason in cit. l. *Edita actio.* n. 28, C. *de Edendo.* dicens omnes alios sic tenere. Quinimo Fachineus lib. XI *Contravers. jur.* cap. xciv, post Menochium *de Arbitrar. judic.* in additione ad cas. 176, n. 62, arbitrat, sæpius permissam esse emendationem libelli ante litem contestatam quoties videlicet bonus iudex æquum esse judicaverit; quidquid Baldus in cit. l. *Edita.* et nonnulli alii contradicant, volentes, eam semel tantum fieri posse. Neque obstat cit. Auth. *Qui semel;* loquitur enim in actore procrastinante,

et malitiose diferente procedere, ut instantia pereat; prout liquet ex Auth. *de Litigiosis;* § *Omnem.* collat. 8, unde altera desumpta est. Atqui mutans libellum non vult malitiose procrastinare, seu serio procedere, renuntiando tamen in totum primæ actioni, et aliam intendendo; et sic potest ante litem contestatam.

29. *Post litem contestatam nequit mutari libellus.* — Altera pars habetur ex cit. Auth. *Qui semel.* et l. *Nemo.* C. *de Jurisdict. omn. judic.*, et l. *Non potest.* ff. *de Judiciis.* cum concordantiis. Siquidem post litem contestatam iudicium est plene cœptum: simulque per actum contestationis litis celebratur quidam quasi contractus, per quem obligatur quis principaliter ipsi instantiæ: hoc est, ad standum iudicio, donec sit finitum; et per quamdam consequentiam ad præstandum id, quod per sententiam iudicis dijudicabitur. Et hinc non mirum posse libellum mutari ante litem contestatam, non vero post: adeo quidem, ut ne quidem de partium consensu liceat mutare libellum post litis contestationem; nam contestatio litis aliique actus substantiales iudicii non possunt tolli partium consensu. Glossa in c. *De causis.* § *Consensu partium de Offic. delegat.* Gailus, loc. cit. n. 9; Vallensis h. t. n. 12, et alii.

30. *Nisi refusus expensis velit actor a priori instantia recedere.* — Intellige, nisi refusus expensis velit actor a priori libello, atque instantia ex toto recedere, et aptiorem actionem intendendo novum libellum iudici offerre, prout fieri posse habetur expressum in c. *Examinata.* 15, *de Judiciis;* ac notat Abbas ibid. n. 5 et 22; Vallensis h. t. n. 12; Bartolus in cit. l. *Edita actio.* § *Quæro quid vult dicere.* C. *de Edendo.* ex textu illius legis probans necessitatem refectionis expensarum, quando reus ex libello inepte concepto ac postea emendato, vel mutato damnificatus est. Idem desumitur ex l. *Eum quem temere.* ff. *de Judiciis.* et § *Hæc autem.* instit. *de Pœna temere litigant.*; ubi ille, qui alte rumtemere vocavit ad iudicium, punitur in expensis. Ac per hoc patet ad ultimam partem datæ conclusionis.

31. *Emendare libellum, licitum est usque ad sententiam.* — Resp. II. Emendare libellum, vel eundem declarare, si quid obscurius contineat, licitum est usque ad sententiam. Ita Bartolus in cit. l. *Edita.* § *Quandoque volo.* c. *de Edendo.*, et favet textus ibidem, juncta l. *Si quis intentione.* ff. *de Judiciis.*

Abbas c. *Significantibus.* n. 25, h. t.; Vallensis eod. n. 12; Sannig., cap. II, n. 12, et tradunt doctores passim; quorum tamen aliqui (ut Pirhing h. t. n. 19), per sententiam hoc loco intelligunt conclusionem in causa.

32. *Idque declaratur exemplis.* — Hinc si actor de summa rei petitiæ aliquid diminuere velit, erit audiendus, arg. l. *Quidam.* ff. *Si certum petatur.* Item, si erravit minus petendo, quam ad eum pertinuerit, v. g. petendo quinque aureos, cum ei deberentur decem: poterit actor emendare libellum, ac etiam residuum petere, § *Si minus;* instit. *de Action.* Sic enim non mutatur status causæ, sed vel explicatur dumtaxat libellus, vel remanente eadem actione quidpiam additur aut demitur primæ petitioni, cæteroquin perduranti.

33. *Actor exprimens in libello certam causam eamque non probans, succumbit, licet probet aliam.* — Quæritur VI. Quid juris, si actor causam in libello expressam non probet, bene tamen aliam? Resp. I. Quando actor quidpiam petens expressit in libello certam causam, eamque postea non probat, tunc is succumbit, licet aliam probet. Patet hoc ex c. *Abbate sane.* 3, § *Cæterum.* et seqq. *de Sentent. et re judicat.* in 6, et notat ibidem Joan. Andreas in *Summario;* Vivianus in *Rationali.* § 1 et 2; Barbosa in *Collectan.* n. 4, et alii, inde inferentes, quod si quis in iudicio petat sibi rem aliquam dari (actione reali, seu personali) simulque expresserit certam causam, ex qua ejusmodi rem petivit; illa causa non probata reus absolvendus sit; haud obstante, quod forsitan actor aliam causam probaverit. Accedit ratio, tum quia sententia est ferenda juxta petitionem libelli; nam fatuus est iudex, qui ultra petita iudicat, arg. l. ult. C. *de Fideicommissar. libert.*, et tradit Barbosa in cap. ult. num. 5, *de Offic. judic.*; tum quia actor tenetur justificare libellum ex causa expressa, sive in iudicio deducta, et non ex alia: exprimendo enim unam determinatam causam, videtur illam dumtaxat in iudicium deduxisse, et non aliam. Abbas in c. *Dilecti.* n. ult. h. t. post Innocentium in c. *Ex parte.* *de Privileg.*

34. *Quamvis idcirco non prohibetur, ea causa illa nova denuo agere.* — Cæterum dictum illud, quod actor quidpiam certa causa expressa petens, et causam illam non probans, etsi probet aliam, succumbat: intelligendum est pro illo iudicio. Talis enim idcirco non prohibetur, ex causa illa nova

Sive hæc jam extiterit tempore litis contestatæ, sive postea primum emerit) denuo agere, seu instituta nova interpellatione, ac instantia, rem illam judicialiter repetere. Glossa in cit. c. *Abbate sane*, § fin. 7. *Hujusmodi de Sentent. et re judicat.* in 6, id probans c. *Examinata*, de *Judiciis*, et l. *Si mater*. § 1, ff. de *Exception. rei judic.* et l. *Hereditas matertera*. C. de *Petition. heredit.*; Abbas in c. *Significantibus*. n. 14, h. t.; Pirhing eod. n. 9, et alii.

35. *Res judicata, pro veritate accipitur, quomodo intelligendum?* — Nec obstat exceptio rei judicatæ ob sententiam in priori judicio latam; haud obstante, quod alioquin « res judicata pro veritate accipitur, » I. *Res judicata*. ff. de *Reg. jur.* Nam, ut faceantur aliæ fallentiæ hujus regulæ, ibidem per Glossam adductæ, dicta regula, simulque exceptio rei judicatæ, solum procedit, quando actor succumbens nulla causa expressa, sed generaliter egerat; quia tunc videtur totum jus suum in judicium deduxisse, sicque ex toto succubuisse. Secus, quando ejusmodi actor expressit dumtaxat certam causam, et hanc non probando succubuit: quia tunc hoc ipso, quod necdum totum jus suum in judicium deduxerit, non obstat ipsi exceptio rei judicatæ, volenti agere ex alia causa, atque in alia instantia. Abbas cit. n. 14. Atque ut hoc amplius intelligatur, hinc ad propositam questionem,

36. *Si actor certam causam in libello non expressit, sufficit probare quamcumque justam causam etiam supervenientem.* — Resp. II. Si autem actor certam causam in libello non expressit, sed rem aliquam in genere tantum petivit, puta, jure domini (prout fieri posse in actione reali, jam supra, n. 17, dictum fuit) tunc sufficit probare quamcumque justam causam, etiamsi talis primum postea, seu lite jam contestata supervenerit. Ita patet ex cit. c. *Abbate sane*, § *Secus autem*; et § *præfatus autem*, de *Sentent. et re judicat.* in 6. Ubi Glossa 7 *Conscientia*; et Vivianus in *Rationali*, § fin., et Barbosa ibid. n. 9, et alii. Concordat textus in l. *Si mater*, § *Eandem*, ff. de *Exception. rei judic.*, ubi et hujus ratio redditur illis verbis: « Nam quaecumque, et undecumque dominium acquisitum habuerit, vindicatione prima (generaliter proposita) in judicium deduxit. »

37. *Idque amplius probatur.* — Unde non obstat, quod causa domini postea primum emergente, a principio minus juste facta

fuerit petitio. Non obstat, inquam: quia non idcirco minus valuit, et tenuit judicium subsecutum: simulque cognita rei veritate (seu, quod ante latam sententiam supervenerit) justa causa domini in genere, ac nulla speciali causa expressa per actorem allegati non posset iudex in contrarium libera et secunda conscientia pronuntiare; quinimo contra conscientiam judicaret absolvendo reum, et pronuntiando, quod actor non probaverit causam domini: prout amplius ostenditur in cit. c. *Abbate sane*, § *Secus autem*, inde concludendo, quod « Actori suam ex supervenienti causa intentionem sufficiat fundavisse, cum egit aliqua causa specialiter non expressa: secus tamen, si certam et specialem in sua petitione subjunxerit, nisi postmodum intentionem suam ex eadem prorsus (quam prius expressit) tunc etiam competenti causa fundarit. » Hæc ibi.

38. *Effectus oblationis libelli, qui?* — Quæritur VII. Qui sint effectus oblationis libelli? Resp. cum Hostiensis in *Summa* h. t. n. 13, et aliis, plures esse effectus ipsius. Primo, ut secundum petitionem in libello formatam feratur sententia, c. *Cum dilectus*, 2, de *Ordine cognit.*, et c. *Qualiter et quando*, 24, § fin. de *Accusationibus*, et alibi.

39. *Qualiter ipsa interrumpat præscriptionem?* — Secundo, libelli oblatio facit rem litigiosam, secuta tamen per executionem denuntiatione, seu citatione. Auth. *Litigiosa res*, C. de *Litigios.*, estque jam dictum tit. I, de *Judiciis*, § 1, n. 23.

Tertio, ea interrumpit præscriptionem, dummodo fuerit subsecuta per executorem conventio, sive citatio, l. *Sicut in rem*. C. de *Præscript. triginta annorum*. Et hoc adeo verum est, ut si quis aliquem ex multis causis sibi habens obnoxium, oblato libello, et secuta ejus citatione, generali petitione convenerit, aut sibi obnoxium constituerit, omnium actionum sub illa generali petitione contentarum interruptio facta censeatur, l. *Si ex multis*, C. de *Annali exception.*

40. *Actor post libellum per judicem reo porrectum obligatur litem prosequi; et quando secus.* — Quarto, actor post libellum per judicem reo porrectum obligatur litem prosequi, et ad finem perducere. Auth. *Qui semel*, C. *Quomodo et quando iudex*, etc. Intellege, dummodo intersit rei conventi, ut litem persequatur, puta, quia multas jam expensas fecit in litem: alioquin enim actor

bene potest litem deserere. Pirhing h. t. n. 20, arg. l. *Postquam*. C. de *Pactis*. Idemque dicendum, si actor paratus sit factas expensas reo refundere, juxta dicta n. 28 et 30.

§ II.

CITATIONE, EJUSQUE REQUISITIS, AC NECESSITATE.

1. *Ratio agendi hic de citatione.* — De citatione non habetur specialis rubrica in jure canonico, sed solum de ipsa fit mentio hinc inde; ut c. *Gratum*. de *Offic. delegat.*, et c. *Proposuiti*; de *Foro compet.*, et c. *Quoniam de Probat.*, et Clem. pastoralis, de *Sent. et re judicat.* et alibi. Quamvis in jure civili, tam in *Digestis*, quam *Codice*, de citationibus agatur sub speciali rubrica, *De in jus vocando*. Cæterum, quia citatio communiter solet sequi oblationem libelli, atque hoc per actorem judici porrecto reus citari: merito in præsentis titulo fit mentio etiam de citatione, licet nonnulli de hac agere soleant ad finem tituli, *de Foro competenti*.

42. *Citatio, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit citatio? Resp. I. Citatio est actus legitimus, quo quis mandato iudicis juris experiendi causa in judicium vocatur. Ita Vallensis § 3, de *Foro compet.* n. 2, estque in re communis. Concordat textus in l. I, ff. *De in jus vocando*, ibi: « In jus vocare, est juris experiendi causa vocare. »

43. *Citatio alia est juris, alia hominis.* — Resp. II. Citatio varie dividitur. Et primo quidem alia est juris, alia hominis; prout desumitur ex Clem. *Multorum de Pœnis*, ibi: « Ne citati ad apostolicam Sedem ab homine, vel a jure, venire valeant, » Atque ex his citatio a jure dicitur, quando jus, sive lex ipsa certum terminum statuit, intra quem debeat quis iudicio se sistere. Exemplum hujus reperitur in cap. 1, *Cupientes. de Election.* in 6, ubi tum electi ad dignitatem, vel beneficium ecclesiasticum, tum electionem ipsam impugnantes, infra certum tempus per se, aut procuratorem suum tenentur Sedem apostolicam adire, sicque illuc ipso jure citantur. Simile quid habetur in c. *Quamvis*, 8, § *Si autem*, de *Offic. ordinar.* in 6, cap. 1, de *Appellat.* in 6. Econtra vero citatio ab homine dicitur, quæ fit de speciali iudicis mandato. Et hæc postmodum varie subdividitur. Unde

44 et 45. *Publica et edictalis; ac privata seu personalis.* — Secundo, citatio alia est publica, alia privata. Citatio publica dicitur illa, quæ

fit in publico, seu coram tota communitate. Atque hæc contingit dupliciter, videlicet voce præconis, aut per edictum in publico loco affixum; quarum posterior proin appellatur citatio edictalis, ac præcipue locum habet, quando reus latitat, nec inveniri potest; ut c. *Causam quæ*, juncta Glossa 7. *Ad Domum*, et c. *Venerabilis, de Dolo et contumac.*, et amplius § seqq. dicitur.

Econtra, citatio privata dicitur ea, quæ fit privatim in personam citandi. Atque hæc alio nomine appellatur citatio personalis: et subdividitur in verbalem, quæ fit vel viva voce per nuntium, seu apparitorem, vel per litteras a iudice ad reum citatum directas: et in realem, quæ fit per manus injectionem, sive per apprehensionem, ac capturam personæ citandæ.

46. *Simplex, et peremptoria.* — Ulterius citatio dividitur in simplicem, et peremptoriam. Citatio simplex est, quæ citatum non prius contumacem reddit, quam tribus vicibus, ac justo temporis intervallo, facta fuerit. Peremptoria vero, quæ addita clausula *peremptorie*, et observato justo temporis intervallo, pro tribus simplicibus decreta est. Et hæc dicitur peremptoria: quia tres simplices citationes ita perimit, ut in jus vocatum, si præfinita die non comparuerit, contumacem constituat, l. *Nonnunquam*, ff. de *Judic.* cum similibus, et amplius infra § 3, n. 102 et 103 dicitur.

47. *Generalis, ac specialis, et quid?* — Tandem citatio alia est generalis, qua nimirum generaliter auctoritate iudicis in judicium vocatur, quicumque sua interesse putaverit. Alia vero dicitur citatio specialis, per quam videlicet certa persona in judicium vocatur.

48. *Ad legitimam citationem tria requiruntur.* — Quæritur II. Quæ requirantur ad legitimam citationem? Resp. Tria ad eam requiri; adeo, ut si vel unum eorum omissum fuerit, aut non legitime adhibitum, citatio non valeat, nec ardet citatum ad comparendum. Ita Maranta, part. VI. *Speculi aurei*, tit. de *Citatione*, n. 54 et seqq.; Pirhing tit. de *Foro competenti*. n. 222 et seqq., ac alii. Idque probatur inductione: siquidem

49. I. *Mandatum iudicis de citando.* — Primo, ac ex parte iudicis, ad omnem legitimam citationem requiritur mandatum, seu commissio iudicis de citando: alioquin citatio non valet, arg. c. *Ex parte S.* 12. § *Quamcumque de Rescript.*, et l. *Sed si hac*, § fin. ff. *De in jus vocand.* ibi: « Prætor ait: In jus sine